



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ulrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von  
[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

ΟΥΤΙΣ, Νεμο. Υλριχο Αβ Ηυττεν Εqvite Γερμανο Αυτορε.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-13027](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-13027)

## EXCLAMATIO

Stagna caput, certè horrebit tua facta, tuumq;  
Regia Persephones nomen, truculenta ciebis  
Umbra metus, Diti fugient te pessima noctis  
Monstra, tenebrarumq; duces: te intrare uolentem  
Cerberus arcebit, diros ponentq; cerastas  
Eumenides terrore nouo, te portitor undis  
Non uolet ire Charon, neq; enim peioribus umbris  
Iura dedit Minos, leuius Salmonæa plectet  
Supplicium, Tytion leuius iram, Sisyphus urget  
Mobilis saxum, portabunt Belides undas,  
Tantalus esuriem stringet, tot nomina poenæ  
Pars quota facta tuæ? at si uitam intrare receptam  
Per Samij documenta senis tibi Iupiter unquam  
Permittet, pete Germanis longissima si qua est  
Finibus Eois regio, nostriq; recede  
A regione poli, careat te Martia tellus,  
Quæ cum ferret, erat tam tristi obnoxia fato.

## OYTIS, NEMO. VLA

RICHO AB HVTTEN EQVITE

Germano Autore.

C. M. R. AD CROTVM RVBIA

num Epigramma de Nemine.

Omen adest placidum, pateant Rubiane penates,

Claude, uenit Nemo: Nemo, reclude uenit.

Quis nouus ignotis hospes successit ab oris?

OYTIS π ουλύττος dicor Homere tibi.

SUM

PRÆFATIO.

Sum uasfr, & Protheus, struo, destruo, texta retexo,  
Orbica quadratis, candida muto nigris.  
Accedit precio uelut auro lucida gemma,  
Artificis chari nobile quod sit opus.

VLRICHI AB HVTTEN EQ,

Germani, ad Crotum Rubianum in

Neminem, Præfatio.

**A**ccipe igitur hoc tibi nihil Crote, quod toto  
anno scriptum à me conquestus es, idq; in epi-  
stola tua, quodam quasi tragico ploratu uicies repetis  
quasi qui nihil est, ab eo aliquid extorquere liceat. At  
nunc ipsum illud nihil ad te mitto, & ita mitto, ut Ne-  
mine perferente accipias. Qui cum enim rectius Ni-  
hil, quam cum Nemine uersatur, cum nemo nihil scri-  
bat ac faciat? Sed iam nosse uis, unde hoc repente con-  
mentum. Ex peruersa Crote hominum opinione, si-  
mul tua tragica epistola. Nam ut tu nihil à me scribi  
quereris, ita sunt homines, qui si quid scribas, etiã aut  
facias, & illud ipsum, & te autorem nihil dicant. In  
ea tempora incidimus, in id uulgi iudicium succum-  
bimus. Si adhuc quid sibi hoc uelit Nihil, dubitas, pri-  
ora reuolue, ac quædam ut contigerunt, in memori-  
am reuoca. Periculũ fecisti mecum, quid mereantur,  
qui optima studia studiosissimè sectati sunt. Nempe ut  
nihil didicisse, & ipsi homines nihili dicantur propa-  
lam. Qua in re clementiores adhuc iudices expertus  
es, quam ego, qui post tot annorũ meam per Europã  
pereo

PRÆFATIO.

peregrinatione, tot aditis periculis, tot exhaustis calamitatibus, nullis non erumnis adflctus: cum tandem ad meos redissem, quid aliud sperare debui, quam homines longa mei expectatione fessos, aduenienti occursaturos, obuijs manibus excepturos, blanda aliqua præfatione salutatum amplexaturos, gratulatu- ros in columitati meæ, probaturos, quòd cum patrijs Musis redissem in gratiam? At paucioribus curæ fuerunt hæc, quam reperti sunt, qui me accusarent etiam. Jam enim fama præcesserat, quibus studijs quam operã impendissem. Itaque reprehendere omnes, ac frustra laborasse, & tempus perdidisse dicere, atq; eò omnium tandem calculi coniecti sunt, & quod uix credis, in patria miser inueni neminem æquum studiorum meorum iudicem. Illã uide Neminem, qui hoc de se dic:

Nemo refert studijs præmia digna bonis.

Nõ aliter, atq; ille ego sim decoctor filius, qui ad porcorum haras, & comessandas siliquas relegari debeã. Aut non melius fit, ita studuisse, quam studuisse omnino nihil. Nam ex æqualibus, qui neq; literas, neq; nature didicerunt, nihil offendebant. Adeò tutius est, non studere, quam sic studere. Et hanc quidem impigerunt mihi culpam, ut esset, quòd duritiei suæ prætextum obtenderent. Tuncque primum diuagatus est rumor, nihil didicisse me, ac esse nihil, magnis ille quidem autoribus. Nam ubi in illos quis incidit iactatores leguleos, aut ad hos appulerit superciliosos theologistas, non dico, quomodo posset scire aliquid, hoc dico

PRÆFATIO.

dico, quomodo posset esse aliquid? Diogenes Cynicus  
 ultro nihil scire uult post eū, qui se omnia scire pro-  
 fitetur, at esse aliquid contendit. Id quod ego adhuc cō-  
 sequi tot laboribus non potui. Nam cum inter meos  
 uersor Equites, haud numeror, ex istis uero indoctis  
 doctis nemo me agnoscit. Ac nescio, an alicuius eorū  
 umbra sim, ita planè nō sentio ipse me, quoties sua stu-  
 dia prædicant, suam eruditionem, sua ingenia osten-  
 dunt. At uero in me quicquid est, omni contemptu cō-  
 temptius iudicant. Tunc iactantur ab alieris Felini,  
 Baldi, Bartholi, Iasones, Accursij, Speculatores, ac id  
 genus doctorculi: ab alteris uero subtilis Scotus, Sera-  
 phicus Bonauentura, bis sanctus Thomas, unice ma-  
 gnus Albertus, ac irrefragabilis quidam, cuius nāhi  
 nomen per incuriā excidit. Et à tantis Magistris, tan-  
 ti discipuli, ab istiusmodi fontibus hauriunt, ut sci-  
 at aliquis, ad Scotum quantum nobis restet, qui inter  
 sectatores illius tam nihil scimus, tam sumus in erudi-  
 tione eruditi. Quāquam tu solitus sis imitari, qui nos o-  
 lim docuerunt Colonenses, & syllogismis fulmina-  
 re, ac si quando prouocaris, alacriter congrredi, oppo-  
 nere, assumere, respondere, conclusiones sustinere bis  
 triginta nonnunquam, arguere pro & contrā, quem  
 illi non statim probant, quòd non formaliter cōsuis ar-  
 gumenta. Quod genus est illa quæstio: An acutius ali-  
 quid uidere potuerit, raptus in tertium cælum Pau-  
 lus, quàm in sua cella, cum tantis speculationibus in-  
 dormiret aliquando Doctor sanctus, acutè, ut mihi  
 uide

## PRAEFATIO.

videbatur, per te disputata, sed ab illuminatis Thomis-  
 stis, q̄ soli cerebrū habēt, discutienda. Nō magis orto  
 sole euanescent minima sidera, quā nos Crote quat-  
 tocunq; cōuentu: quodā se istiusmodi farinae clamoso  
 tripudiatore ingerēte: obscuri simus: Sed audi meū in  
 hac re consiliū, postquā mihi stomachū mouerūt isti  
 olim superbi legum dispensatores, sateor, esse aliquid  
 contendī, et eō studiū contuli meū, ac despercam si ul-  
 la alia ratione, quā uel ut meorū desiderio satisfacere-  
 rem, uel ipsum illud, quantūcunq; nugatoriū est, quo  
 isti triumphant Bartholista, assecutus, acceptoq; do-  
 ctinae titulo, quo decipi uulgus amat, ab illis postea  
 audiri mererer, quod aliter p̄ contemptū non fiebat.  
 Doctore .n. esse oportet nunc, doctū neq; necesse est,  
 neq; omnino aliquid est. Quāta literarū iactura hoc  
 facies, aiebat aliquis? Nulla respōdi, quippe impēden-  
 dum aliquid succisui tēporis, dū istas illiteratas lite-  
 ras, atq; hāc doctrinarū fecem iactare discā. Nā intel-  
 ligere nullo negotio licet. Sum .n. planē in ea opinio-  
 ne, ut qui in his studijs superbire sciat, & pro tēpore  
 ingerere se audeat, eū consummatum hoc tēpore iure  
 consultū existimē. Quod institutū quid refert, quomo-  
 do postea immutauerim, scribere, cū tu illi intersueris  
 Senatui, quo istud factū est consultū? Ad Bartholistas  
 redeo. Tales sunt, qui nunc in auribus principū qua-  
 si sphōgae haerent, quibus consultoribus Respublicae  
 gubernantur, ad quorum praescriptum omnia domi-  
 forisq; geruntur, qui soli docti sunt, soli q; doctrinae  
 pra-

## P R A E F A T I O

precium inueniunt. Quibus cum suum isti diuites aurum commune habent, quos solos benignius salutant. Ac nescio an uspiam manifestius stultitiae suae documentum, quam in demerendis rabulis praebent.

Quos cum reddunt purpuratos, ipsi aliquando egēt inepti homines, quasi non melior fuerit Germaniae status, antequam isti inuaderent, tot uoluminibus instrueti, tunc quum plus ualere hic boni mores, quam usquam scriptae leges. Aut non adhuc tanto quaelibet ciuitas prudentius gubernetur, quanto ab ea longius absunt hi Glossatores. Ac illos mihi intueatur aliquis apud Balthicum mare Saxones, quam incunctanter, ac nulla iniuria ius dicunt, non consultis quidem illis, quos dixi leguleis, uerum suo illo ab antiquis more, quum nos hic uiginti annos, inter triginta sex doctores pendeamus. Qui quomodo persuadebunt mihi doctrinae opinionem, quum tot annos, tot perlectis uoluminibus inuenire quid iuris non possint? Obscure igitur intelligimus, quis alat istas in Germania contumeliones? istas discordias? quis intestinis bellis connectat principes? rebus publicis tumultus inuehat? oia seditiōibus impleat? Ex his quendam noui insignem asinum, quod mihi uidetur: quod ipsi, iureconsultum, qui aliquando simul audientibus nobis Papiæ illud iuris columen Iasonem, cum is praelegeret, ac multis citatis auctoribus subijceret, et Alexander de Imola, ac sequaces, conuersus ad proximum quæsiiuit, quis ille esset sequaces: putabat enim ex Glossatoribus uni sequaces nomen esse

esse

## PRAEFATIO.

esse. At idem ille, qualis qualis est, nuper ex Italia redijt, libris ac uestibus splendide instructus, et inter doctores numeratur, ac me, qui melius capio Iasonē, post tergum relinquit. O mores, ô studia, ô temporis huius capita, quomodo istas abstergemus nebulas, & aliquando uerū intuemur? At ualde interim ex suis sibi isti cōmentarijs placent, studiū alioqui tractabile omnino caligine inuoluētes, ac Cimmerijs planè tenebris obscurius reddentes. Quorū ut densiorē quis nebulam, atriorē noctē libris Digestorū admolitus est, ita pro classico autore celebratur, et in admiratione habetur. Cuius. n. lucubrationib. nō amefertur Accursius quidā, ex cuius tenebricoso ingenio hic offusus est iuri ciuili fumus. Nō iniuria igitur miserebat te mei olim, cui ut studiosus esse, ad huiusmodi studiū diuertendū erat. Tam inconsulta sunt hominū super humanis studijs cōsilia. Quare, ut mihi uidetur, quod ingenuo sunt animo, ac recte libero, oīa maluit, quam in has se demittere sordes. Hæc ego accusare in illis, quanquā iniquissima sunt, non ausim, nisi repetita bis uenire petitione, præfatus, dicturū me, quod nemo sentiat, ac nihil dicturū. Sumus enim nihil Crote, nec prius desinimus nihil esse, quam aliquam nobis in hac Comœdia personā assumamus, quanquam nisi obsessent mihi literæ, poteram satis reuerenter Eques Germanus saluari, & tu sacerdotis appellatione satis honoratus eras: nisi & præter equestrem dignitatem esse putaretur, literas discere, & penitus nihil saperent, qui se ualde  
hoc



## PRÆFATIO.

hoc seculo putant sapere. Hi sunt, qui cū literas igno-  
rent, consilium tamen nobis dant, quid discere oporteat, et studiorum censores agunt, quorū a titulis præmia metiuntur, sic ferè quærentes: Quid est iste? qui  
bus respondere licet: Doctor est, Magister est, Baccalaureus est. Aut si nullum istorū attigit, nihil est. Nuper ex quodam meorum quæsitū hunc in modū est, ab istius professionis homine, curioso illo quidem salutandis amicis, qua me honoris præfatione salutari oporteat. Tum meus respondit, nondū aliquid esse me, hoc uolens scilicet homo simplex, nullo insignitum titulo, quod satis fuit huic salutatori. Hodie enim non qualis quisq; sit, sed quo uocetur nomine, quæritur. In casu ac pecunijs omnia insunt. Virtuti propriū est nihil. Illud prob Christe nihil, quod nunc optimus quisq; uocatur. Cur igitur sapere quis uelit, quando sapere extrema hoc tempore dementia est? Hinc mihi hoc Nihil excidit, atq; hic prodit Nemo, nullis ille quidem calumnijs, nullis obnoxius contumelijs, plenus fiducia, qua elatus, hoc audet nihil in lucem adducere, impunè credo ad omnes euentus. Quia quæ nemo est, quid obstat, quo minus loquatur hoc suum nihil? Quod si non probabunt, qui uocantur Theologi, suo more fecerint, quanquam probabunt fortè, cū aut nihil eis placeat, aut quædam magis, quam nemo putet nihil. Quibus aliquid meum nonnunquā ostendens: Ecce uobis nihil inquit, ab eo, qui per uos nihil est. Ibi tum accuratè legunt, inuestigantes, num

## P R A E F A T I O.

heresim sapiat. Et statim si quid minus placet, quā  
 quā sit hoc nihil, enotant. Inde in articulos errata di-  
 gerunt. Sunt, n. pensiculandis hominū sermonib. a-  
 cuti ualde iudicij. Vbi si quid offendit, frontem con-  
 trahunt, labra exporrigunt, nasum suspēdunt, nōnun-  
 quam ad ignem, ad ignem ingeminant. Quam collu-  
 sionem mouere tutum non est, non magis, quā cum  
 sentibus luctari, aut praesens aliquod ultro sibi malū  
 accersere. Apud hos cautū est, ne quid temere loqua-  
 mur, metuendum genus hominum, ac fari omnia soli-  
 tam, audire nihil. Quis liberius .n. carpit uitia nūc,  
 quā isti sapiētes? Imō quis petulantius quoquo uult,  
 inuehitur? Si queras, ipsi interim quomodo uiuant,  
 pallium & cucullum ostendere satis habent. Quae si  
 nihil dicas, ibi tum in articulos tuum referunt nomē.  
 Probarunt tot, inquiūt, Pontifices, ac priuilegia pro-  
 ferunt, tibiq; negocium faciunt, malum minitantes,  
 ni palinodiam occinas. Lōgum esset scribere tibi, quo-  
 ties illis iā displicui, donec cōsenſi in hoc Nihil, quod  
 quia nihil est, nihil ab illis fit, & omnino concessum  
 est nihil dici, aut neminem dicere, hac lata lege: Nihil  
 dixeris, aut nemo dicere audeat. Atque ita me tuor  
 prudentius, quā ubi quendam olim ex his crabro-  
 nem uehementer irritaueram, cū dixissem: Nihil nūc  
 scire Theologos, quod nō discere quis uel sine praece-  
 ptore possit. Quod meū piaculare uerbū, quo dii bo-  
 ni supercilio exceptum est? Quae conclusiones, quot  
 syllogismi, quanta Enthymemata secuta sunt? Obtun-  
 debar

## PRAEFATIO.

*Debit infelix. At ille iratus dominus, uirgines depre-*  
*catrices poscere uidebatur, ut mihi propitius esset.*  
*Cui omnia concludenti, omnia concessi, herbã (quod*  
*aiunt) porrigens, in hoc etiam assensus, ut supra uul-*  
*garem ipse hominum sortem, numinis loco sit, ego ni-*  
*hil sciam, nihil sim. Quodq; doctus ipse fulgeat, quasi*  
*splendor firmamenti, ego in his delitescã tenebris me-*  
*is, ubi loqui nihil liceat. Capnionem ab animi magni-*  
*tudine omnis admirabitur posteritas, qui descendere*  
*cum his in aciem, ac pugnam capessere ausus sit, &*  
*mira hoc felicitate, præter omnium opinionem. Qui*  
*siqua fortè laborasset, tunc cum multis commune mi-*  
*hi fuisset hoc nihil. Oïa debentur Maximiliano prin-*  
*cipi, qui se farentibus opposuit, non passus eueri op-*  
*timum uirum, & de hoc imperio suis consilijs, suaq;*  
*industria sic meritum. Secus Theologistæ Parrhisiën-*  
*ses iudicarunt, sua maxima infamia, suoq; dedecore.*  
*Quod recordanti mihi subit, quid in Christianam re-*  
*ligionem inuexerit, hæc trecentorũ annorum Theo-*  
*logia. Postquam enim discessum est ab illa ueteri &*  
*germana, tum uero cum studijs declinauit simul reli-*  
*gio, ac illa increbuit, omniũ pestiũ pestilentissima su-*  
*perstitio, quæ sua caligine ita uerum dei cultum infu-*  
*scavit, ut nescias, Christi sint, quæ obseruas multa, an*  
*alicuius noui dei, qui hoc sibi uendicet ultimũ mun-*  
*di tempus. Habent tamen pessimorum librorum ma-*  
*gnos acervos. Ac dum istos negligunt antiquos, &*  
*rectè doctos autores, in his uersantur nugamentis, &*

## PRAEFATIO.

in scripturarum sordibus, non secus ac in luto scarabaei delitiantur. Neque tunc uilius quid nostris studiis tractare se putant, quoties pro concione sordidam aliquam fabulam, aut anile deliramentum, uulgi credulitate abusi, deblaterant. Qui cum tales sint, quicquid tamen extra suam farinam est, contemnunt ac aspernantur. Cumque omnium insulsissimi sint, eos tamen esse se contendunt, quibus semel Christus dixit: Vos estis sal terrae. Quare et sapientes credi uolunt, ac apostolis quicquid olim datum est, iure hereditario ad se trahunt, et in compellationis praefatione, Magistri nostri mira et inaudita ambitione dici gestiunt. Forte quia confessiones audiunt, ac consilia Regum et Principum ediscunt. Deinde muliercularum quoque secreta nimis auidè rimantur, ut se idcirco plus omnibus sapere credant, et non immeritò à discipulis Magistri, à filiis patres (proh pudor) salutentur. Quae de re facetissimam tu olim ad me epistolam. Sed quid ego haec, quasi hoc tempore Theologi non sint? Minime, Sed quòd tam nihili homines in Apostolorum locum succedant, in eius rei indignitatem aliquis nemo exclamare potest: omnia inuerti, omnia confundi et misceri, omnia secus, ac sint, haberi, Nihil sibi constare, Neminem aut à morum integritate bonum, aut ab eruditione doctum iudicari, sed alterum cucullo ostendi, alterum titulo utcumque acquisito exprimi. Tu Crote qui acutius omnia intelligis, quid uidisti tepestate nostra Christianum magis, quam illos nuper Erasmi labores

PRAEFATIO.

bore, aut quid contra magis inuisum his Thomistis  
 ut susurrabant, ut fremebant, ut stringebant superci-  
 lia, ut nasos suspendebant. Illa rumpi his credas, quo-  
 ties tale aliquid uiderint. Ita alienis uirtutibus inuis-  
 dent pessimi homines. Ita consciētia ignauiae suae cru-  
 ciantur nebulones. At tunc strenui sunt, quando in  
 suo illo regno, publico suggesto, apud indoctum uul-  
 gus, ac leuissimi sexus turbam declamant. Ibi lacerāt,  
 ibi inuidētia suae stimulos exerunt, ac illud eiacu-  
 lantur terribile fulmen, & mirū euomunt uenenum,  
 non in eos, in quos necesse est, sed quos sibi molestos  
 esse ubilibet contigit. Alexandrum sextum nostra me-  
 moria Pont. Max. dixisse ferunt, cum potentissimo re-  
 ge aut principe malle sibi bellum esse, quàm cum uno  
 ex fratrum mendicantium ordinibus. Omnia enim ha-  
 bere eos, qui nihil habent, ac inexpugnabile id esse ho-  
 minum genus, quacunq; certandi uia adoriaris. Ne-  
 scio acutissimè hæc considerem, an uerò dolore meo  
 latius efferar, hoc certè puto, neminē non ciuiliorem  
 reperiri uictorem, si quos disputando, concludendo-  
 q; uinci contigerit, quàm hos præposteros Christi a-  
 postolos. Quid enim crudelius unquã sensisti, quàm  
 ubi quempiam arripuerint corū, quos hæreticos uo-  
 cānt? Tunc quippe omnia Christo, præter unam mi-  
 sericordiam concedunt. Et quod illi proprium maxi-  
 mē est, hoc tum longissimè ablegant, quin etiam adeo  
 insolentes se gerunt, ut nemo non dānari malit, quàm  
 ab his consequi ueniam, qui cum oppugnandis nobis

P R A E F A T I O .

quorum patrimonijs aluntur uentricosi hypocrite, adeo feroces se exhibeant, nullus tamen reperitur, qui religionis zelo in Turcas eat, fidem Christi praedicaturus. Aut illos saltem in medio nostrum Bohemos ut erudiat, quos illorum uitio secretos ab Ecclesia, Pius secundus Pont. Max. non obscure queritur. Profecto ubi nihil opus est, ferociunt, ubi faciundum periculum, ibi se subtrahunt profugi pugnatores, ac quietem allegant, quae debeat religioni. Ad quid igitur istas putem conferre scholasticas disceptationes, tot uis, tam diuersis inter se opinionibus concinnatas, unde haec nomina, hos usurpant titulos? Hieronymus a piscatoribus sumi, quod fide Christi astruat, oportere credidit, & Dialecticam abesse iussit, quam si his ademeris, quid reliqui facies? Iterum igitur dico Crote, qui ingenuo sunt animo, ac recte libero, his faciendum hoc tempore, ut omnia malint, quam uulgi inferuire iudicio. Ita passim erratur, ita nihil sumus, ob id, quod boni esse studemus, ac nihil scimus, quia aliquid recte scimus quod si tibi uidetur, & in ea es sententia, ut magnopere non cures, quid istiusmodi praesent iudices, perpetuo erimus nihil, ac suauiter interdum ridebimus hominum mores. De me sic habet, certum est, non obsequi his, qui me doctorem esse uolunt, quorum proxime quidam: adde, inquit, nomen rei. Si possem respondere, rem postea nomini. Nec illos moror, qui mihi nulla uirtutis opinione, sed precio quaesitis titulis praeseruntur. Ac libenter nihil sum, ut ne in hoc impingam ambi-

## NEMO.

tionis studium, & uel latum digitum ab instituto discedam meo. Tu interea Crote, quandoquidem et ipse mecum nihil es, hoc nihil satis habe, quod pellegas. Et illud tecum cogita, eum quoq; qui nihil faciat, aliquādo facere aliquid, & qui nihil scribat, scribere multū saepe. Vale, & me ama, à quo te immortaliter amare nō obscure sentis. Dehinc hunc audi Neminem.

## NEMO LOQVITVR.

**Q**uisquis ades, si forte nouos mirabere lusus  
Ne rigida faciles accipe fronte iocos.  
Sed qua læta probis ageres conuiuia mensis,  
Quoq; decet uultu res uariare graues.  
Inter se mutata placent. Non omnibus idem  
Est locus, haud poscunt omnia tempus idem.  
Et quandoq; leues ueniunt ad seria risus,  
Quo iucunda graueis temperet hora dies.  
Este alij tristes semper, semperq; seueri,  
Qui sapis, alternas omnibus adde uices.  
Scilicet hic modus est. Tu qui mea nosse laboras  
Fata, Cleanthæum pone supercilium.  
Qui loquitur, Nemo est, loquitur Nihil, at tibi si quid  
Insonuit, dicas Neminis esse Nihil.  
Sum Nemo, uiuam, nec ne, cui dicere promptum estis  
Non etiam proraptum est mihi, uiuo tamen  
Nemo agitat uitam, tu quid te contrahis? an quod  
Si uiuit Nemo, uiuere non potis es?

N E M O.

Ille ego sum nemo, de quo monumenta loquuntur,  
 Ipse sibi uitæ munera Nemo dedit.  
 Nemo fuit semper, Nemo isto tempore uixit,  
 Quo malè dispositum dii secuerunt chaos.  
 Ante ortum Nemo est aliquis, post funera nemo,  
 Nemo quid inuito fertur facit uel deo.  
 Omnia Nemo potest. Nemo sapit omnia per se.  
 Nemo manet semper. Crimine Nemo caret,  
 Nemo fugit mortem, Nemo est à fine superstes,  
 Nemo exors certi nascitur interitus.  
 Nemo animos nouit superum, sensusq; latenteis,  
 Nemo quod est, quod erat, Nemo futura tenet.  
 Nemo salutiferas præter seruat undas,  
 Nemo fidem Christo non habet, et bonus est.  
 Nemo sorte sua uiuit contentus, et intra  
 Fortunam didicit Nemo manere suam.  
 Nemo sacerdotum luxus, uitamq; supinam,  
 Nemo audet Latium carpere Pontificem.  
 Nemo in amore sapit, Nemo est in amore fidelis,  
 Nemo alij propior, quam studet esse sibi.  
 Nemo uagas numerat stellas, ipso ordine nouit  
 Nemo, quid in terra, quidq; feratur aqua.  
 Nemo potest dominis simul inseruire duobus,  
 Nemo quod, et quoties expedit illud, habet  
 Nemo bonus, Nemo est ex omni parte beatus,  
 Nemo simul potis est omnibus esse locis.  
 Nemo omnes posita Germanos lege coërcet.  
 Nemo iugum Rheni gentibus imposuit.



## NEMO.

Nemo per innocuos mores emergit, & aula  
Sontica prosequitur munera Nemo pius.  
Nemo Quirinalem dominatu liberat urbem,  
Nemo laboranti subuenit Italiae.  
Nemo feros bello Turcas adit, & bona curat  
Publica priuato munere Nemo magis.  
Nemo certa sequi, sibi conscius optima legit,  
Nemo audet subitis rebus habere fidem.  
Nemo errore uascat, Nemo sibi cauit ubiq;  
Nemo placet cunctis, inuidiaq; caret.  
Nemo quæ placeant stupido facit omnia uulgo,  
Nemo refert studijs præmia digna bonis.  
Nemo uoluptatem nullis languoribus explet,  
Nemo renascentem sedat auaritiam.  
Nemo est in terris Germano Cæsare maior,  
Nemo deum pariter diuitiasq; colit.  
Nemo uagam stabili fortunam temperat orbe,  
Nemo graui casus sub ratione leues.  
Nemo quas congesit opes, secum auferet istuc,  
Mortuus unde semel Nemo redire potest.  
Nemo maris guttas, numerumq; recenset arenas,  
Nemo dat æstiuis nomina pulueribus.  
Vertere Nemo uices, infectum reddere factum,  
Nemo potest lapsos huc reuocare dies.  
Et quæ præterea numero foret ædere longum,  
Quid ualeat Nemo, Nemo referre potest.  
Vna meum censet leue turba domestica numen,  
Seruorumq; cohors, & puerile genus.

N E M O.

Horum est in famam tam prona calumnia nostram,  
 Ut nihil exoptent, quam mihi obesse prius.  
 Nil moror hæc, ὀλίγοις ἢ οὐδὲν ἄνδρῶν ἢ ἄλλοις  
 Opprobrio infelix ulteriore petor.  
 Atq; ubi peccarunt, neq; enim peccasse fatentur,  
 Transponunt labe in mea terga suas.  
 Quicquid ab his culpæ, quisquis cōmittitur error,  
 Si quæras, quis agat, omnia Nemo facit.  
 Amissum est aliquid, Nemo abstulit, excidit aurum,  
 Nemo habet. At nullas Nemo cupiscit opes.  
 Quid quòd fraude mihi gravidã obtrusere ministrã  
 Tot famuli, quanquam haud tacta sit illa mihi?  
 Quærendus pucro pater est, Nemo obtigit. At tu  
 Si me audis, alium stulta require patrem.  
 Ecce infracta iacent hesternis uasa tumultu,  
 Olla, lebes, patinæ, uitreolusq; calix.  
 Et uariæ signis phialæ, Samiumq; toreuma,  
 Et carum infausti cupula pignus heri.  
 Oenophorumq; capax, & aduncæ cantharus anse,  
 Sympiniumq; ingens, Herculeusq; scyphus.  
 Fracta iacet lampas, iacet unguentaria pixis,  
 Quæq; grauis gelidas urna ministrat aquas.  
 Sustulit hæc eadem fragileis insania testas,  
 At cocus ad solidum læsit abena focum.  
 Læsit & euersos tripodas, tenuisq; quadrantes,  
 Neglectusq; suo follis in igne perit.  
 Abiectumq; aliò pistillum, abaciq; reuulsi,  
 Nec relocata suis stannæa uasa locis.

Et

NEMO.

Et querenda diu ruptis cochlearia thecis,  
 Fuscinaq; & coecæ cura lucernæ uic.  
 Decidit excussa ferrata sagitta pharetra,  
 Ante suos manant uina refusa cados.  
 Hinc cyathi, tinaeq; graues, & aquatilis obba,  
 Illinc Hetrusco seria amata Numæ.  
 Tympana rupta iacent, iacet amphora, nec tenet apte  
 Puluerulenta suos bibliotheca libros.  
 Cum sparsos hinc inde colum, fusosq; uiderem,  
 Hæc etiam dixi, culpa futura mea est.  
 Vos quoq; culter, acus, radij, subtegmina, forfex,  
 Turpiter irata sparsa iacetis hera.  
 Ebria securis domini petulantia seruis  
 Nil curare domum suadet, opesq; domus.  
 Quos petulans inter prostrato ancilla pudore,  
 Nonnihil in rerum perditione facit.  
 Ipsa penum struit, & patinas inducit opimas,  
 Quæq; sibi follers multa reseruat herus,  
 Vina dehinc promit, dehinc rarû quicquid ad usum  
 Arte cibi uarium docta parare genus. (est)  
 Eruitur simili tucetum nobile furto,  
 Crassaq; furtiuo sumina tosta foco.  
 Hic bibitur totas mensura æquante lagenas,  
 Letaturq; meo libera turba malo.  
 Et uaria exequitur sub multam gaudia noctem,  
 Gaudia non uno pernicioso modo.  
 Multa refringunt, titubanti cum pede seruis,  
 Post epulas, & post pocula strata petit.

Presæ

NEMO.

Prebit in ollatum grauidum caput ille caninum,  
 Nec cubitum lapsi pulsa fenestra tulit.  
 Semiseclusa canis subiit cellaria, & illic  
 Quod superest, auido deuorat ore cibi.  
 Hæc quoq; deposito uenit fortuna canistro,  
 Et quæ præterea diruta multa iacent,  
 Ipse domum tandem rediens herus, anxius ambit  
 Discere uastatæ singula damna domus.  
 Quo seriem querente mali, teger indice primo,  
 Efficiorq; omnis criminis autor ego,  
 Criminis autor ego, quid enim quis dicere posset,  
 Confestim breuius, quàm mala Nemo facit?  
 Quis ego pro meritis etiam benefacta rependo,  
 Illorum subiens corpore quodquod onus.  
 Et si quid mandauit herus curæ atq; laboris,  
 Ni faciam infelix omnia, Nemo facit.  
 Nemo curat equos, Nemo huc discursat & illuc,  
 Pro domino Nemo est anxius, atq; domo.  
 In me tuta fides, audet committere lecto  
 Nemini, uxorem qui cupit esse probam.  
 Non tamen est mirū, quenquam hos inuadere mores  
 Non adeò exemplo, qui facit ista, caret.  
 Multa licent multis, postquã semel hostis Vlysses  
 Supposuit sceleri nomina nostra suo.  
 At si tu dederis ueniam mihi candide lector,  
 Quòd fuerit numium fabula longa, uale.  
 ΟΥΤΙΣ ΕΛΕΥΕ. Nemo dicebat.